

*Applicatorium Clavium*; reliquos quatuor appellare possumus  
*Baculos melotheticos*. Singulos, explico, & eorum usum indico.

§. I.

*Baculus Bassorum, ejusque usus in  
Basso componendo.*

**B**aculus Bassorum servit pro componendo Basso, datis quibuslibet vocabulorum, quatuor, quinque, sex, septem, & octo syllabarum, immo & plurium; possunt enim musarithmi trisyllabici copulari cum hectasyllabicis, heptasyllabicis, octosyllabicis, & fieri musarithmi pro vocabulis novem, decem, undecim syllabarum. Potest quoque vocabulum trium syllabarum copulari cum alio trium itidem syllabarum, & fieri dictio sex syllabarum, exprimentia harmonice musarithmo hectasyllabo. Exempla dabimus in sequentibus.

Continet igitur Baculus in uno latere numeros harmonicos, cum notis musicis subscriptis, pro vocabulis trisyllabis, tetrasyllabis, & pentasyllabis, habentibus penultimam aut longam, aut brevem: in altero vero latere continet numeros, cum notis subscriptis, pro vocabulis hectasyllabis penultimâ longâ, & penultimâ brevi, & pro heptasyllabis penultimâ longâ, & pro octosyllabis penultimâ brevi.

Usum hujus Baculi in Basso componendo explicavit sufficierter Auctor Organi suprà in Libello §. 5. Componitur enim ex eo Bassus eodem prorsus modo, quo Contrapunctus simplex ex Tabulis musarithmicis. Nam

*Primo.* Dato quocunque themate, ver. gr. hoc, *Laudate Dominum omnes Gentes*, elitur Tonus textui competens, ver. gr. in casu nostro Tonus VI. qui est Bellicosus, Incitatus, Gloriosus, uti ex Tonorum Tabula suprà allata patet.

*Secundo.* Quoniam duæ voces, *Laudate Dominum*, constant sex syllabis, quarum penultima est brevis, & duæ reliquæ, *omnes Gentes*, constant quatuor syllabis, quarum penultima est longa; elitur ex Baculi prædicti columna pro vocabulis sex syllabarum penultimâ brevi musarithmus quicunque ex sex ibi positis, ver. gr.

P p p p p 2

hic,